DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IV. DECEMBRIS,

M. HVGONE CHASLES Doctore Medico, Moderatore.

An motus Sanguinis circularis? 9a.

QVILIBET animanti triplex motus, animalis, naturalis, vitalis: primum impertiuit natura, vt quæ bona ſunt, proſequatur: noxia vero & inimica fugiat & auerſetur. Motu naturali ſingulæ partes excitantur, vt obiecti ſuauitate & vnione fruantur. Similitudine ſubſtantiæ aut etiam qualitatis amicæ benignitate pellectæ familiare trahunt alimentum, quod elaborant ac perficiunt. Ventriculus appetitu laſciuo nutritionem æmulante cibum molaribus ritè ſubactum prolectat, excoquit: chylum vt ſuperfluum onus & ſibi moleſtum in ἔκφυσιν deponit: vnde in alia inteſtina ſubinde depulſus deſcendenſque à meſenterij venis raptus per venæ portæ ſurculos hepar ſubit, vbi ſanguinis formam ſuſcipit, quem deinde ſatiatum iecur in amplum venæ cauæ tubum per totum corpus luxuriantis amaro fæculentoque excremento repurgatum ceu χολῶδες expellit.

NON poſſet εὐπαίδευτος natura dici, ſi finem ſuum iam aſſecuta, repeteret: & plane laſciuire videretur, ſi iecur diffuſum in partes omnes ſanguinem à minimis artuum venis aliiſque per habitum corporis vniuerſum diſſeminatis, etiam vicinis partibus propemodùm fame enectis iniquioris æconomiæ lege refluentem denuo, quaſi repetitam crambem, recoquere cogeretur. Noui ſane alimenti cupidum, quod confectum eſt, faſtidit. Hinc motrix facultas ſanguini denegata, ne quoquoverſum ſuopte impetu ruens non idonea partibus ſufficiendo, nutritionem interturbaret. Trahunt cuiuſque partis voluptas & neceſſitas ſibi cognatum: os craſſiori refocillatur ſanguine, arterioſo pulmo, pituitoſiori cerebrum fouetur & alitur: ita ſanguis ſingulas partes ſubeundo, quadruplici alteratione magis magiſque perficitur. In exilibus venis & arteriis contentus & immutatus roris inſtar in ſubſtantiam animalis diſpergitur: tum coctione paulò craſſior factus agglutinatur & humorem primigenium non planè reparabilem inſtaurat.

COR vitæ parens & caloris innati focus princeps vitalem ſpiritum & ſanguinem, quibus totum corpus peragrat & illuſtrat, propriis inſtrumentis & motu perficit. Id autem viſcus fibrarum contextu affabrè concinnatum è patenti venæ maioris oſtio ſanguinem haurit, quem inſitâ ſibi vi pulſificâ (quam non parit ſanguinis impulſus) coquit, elaborat, profundit: ſed attenuati in dextro ventriculo ſanguinis portionem demittit in pulmones ad latera cordis quaſi fabrorum folles conſtitutos, quo nutriantur: partem alteram in ſiniſtrum ſinum per ſeptum medium ſtillatim exudantem vertit in ſpiritum ſuccumque puriorem, qui natiuum membrorum omnium calorem fouet, ſopitum ſuſcitat, fugacem atque euanidum benigno influxu reſtituit, quæ aliàs calore & ſpiritu orbata contabeſcerent.

PRÆTER laborem nihil inueniet, qui curioſiùs aliquantò ſanguinis circuitum diſquirendo placentæ fœtus & vmbilicalium vaſorum gyros labyrinthæos ingredietur. Prima enim embryi ſtamina alimentum ſtatim ſugunt, retinent, concoquunt à maternis vaſis ſubminiſtratum, vt eo in ſemen conuerſo alantur, corde & iecinore nondum fabricatis. Iam vero conformatus, ſed nondum excluſus puer tantum ſanguinis & ſpiritus cum aëre allicit, quantum eſt ſibi ſatis, otiantibus tum organis quæ vitæ functionibus famulantur. Hæmorrhoïdes venæ prolectum à portâ ſanguinem melancholicum trahunt, excipiunt, paulatim congerunt, ſed reſeratæ craſſum & atrum effundunt, vt totius molis ſanguineæ fæcem & amurcam, qui inde vt ex varicum nodis reuolui ac remeare ſurſum neſcit.

MOTVS circularis omnium ſimpliciſſimus, primus & perfectiſſimus ſimplici tantùm & perfectiori corpori congruit. Et licet Euripi inter Auliden & Euboeam Inſulam decurrentis fluxum & refluxum imitari videatur is ſanguis, qui ab vtero ad mammarum glandulas, vnam lactis officinam, appellit, viciſſimque à mammis per mammariam & epigaſtricam relabitur ad vterum: & à venis vicinioribus per occultas & cæcas anaſtomôſes nutritionis gratiâ ſubeat arterias, pro quo & illæ ſpiritum rependunt: hæc tamen mutua viciſſitudo & velut ἀλληλοπλάγησις, circuitum non agnoſcit. Ars alioquin Medica quæ & ſalutifera eſt & fallere neſcia, inani remedij nomine nugaretur, vbi ophthalmiæ, pleuritidi, anginæ phlebotomiâ ſuccurrendum putat, & inflammationem prohiberi curat humorem auocando aut reuellendo, ſedat dolores, menſtrua cohibita reuocat, male affecti genitalis arui putreſcentem ſanguinem ſectâ in malleolo ſaphenâ vacuari iubet, ſi à capillaribus venis in maiores ope neſcio cuius κατὰ κύκλον περιβολῆς, alius confeſtim iſque copioſior aduentaret.

Non ergo motus Sanguinis circularis.

Proponebat Lutetiæ SIMON BOVLLOT, Bajocenſis. A. R. S. H. M. DC. XLII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Comte, Prof. Chir.	*M. Lancelotus de Frades.*	*M. Nicolaus Henault.*
M. Mathurinus Alton.	*M. Iacobus Mantel.*	*M. Ioannes Degorris M. Reg.*
M. Franciſcus Blondel, Prof. Schol.	*M. Nicolaus Matthieu.*	*M. Renatus Chartier M. Reg.*

